



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Summuntorium vel Alta specula, Germanice Hohenwart/ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

D. O. M.

Reverendo in Christo patri ac Domino, D. Joanni ab Egloffstein  
artium ac juris Magistro, heroi nobili, Abbati Spainsbardiano quar-  
to, concordie & pacis studiosissimo H. M. ad posteritat. memoriam  
P. est. Obiit feliciter XVI. Maii anno Christianorum 1539. Vixit  
annos circiter LIII. Præfuit annis XVII.

Additum est vero huic monumento sequens etiam distichon,  
cui annus (quo optimus Abbas ex hac vita decessit) per literas nu-  
merales insertus est: mensem ipsa carminis sententia exhibente.

RVra sVas VIoLas, teLLVs habet aVrea sLores,

CVM SpanshartensI reCtor In arCe rVit.

5. Joannes Gries, & ipse vir nobilis, subrogatur Egloffstei-  
nero. Præfidet cum Joanne Gleiffentalero, & generis nobilitate  
& egregia virtute prædito mediocriterq; litterato juvene, hoc  
adhuc currente Jubileo, semper ferè valetudinarius.

SUMMUNTORIUM vel Alta specula, Germanice Hohenz  
Swart / celebris olim arx Comitum Turensum, qui inter  
Halam & Oenipontem antiquitus habitantes, ab hac arce Co-  
mites quoq; de alta specula vel Hohenwartenses dicti, arcem  
etiam Schrobenshusianam condidisse perhibentur: nunc vero  
monialium Benedictinæ professionis & Augustanæ dioceseos  
elegans in amoenissimoq; monte ad Parrium fluviolum situm  
cenobium, fundatum & ex arce in oratorium, ex domo ve-  
nationum & voluptatum in precationum & honestorum stu-  
diorum domum conversum est à Rapothone, Comite de Tau-  
ris ejusq; conjuge Hemma, Austriæ Ducissa, amborumq; ho-  
rum honestissimorum conjugum liberis, Ortolpho & Willitru-  
de, in hoc ipso cenobio quiescentibus, de quibus tale ibi legitur  
epigramma. Ortolph, Wiltrudis huic claustro causa salutis,  
Pescunt obsequia sub munere quotidiana:  
Hemma quibus mater, Rapatho quippe pater.

Templum Summuntorianum beatæ Virgini Mariæ & S. Pe-  
tro Apostolorum principi dicatum & consecratum est anno  
Domini 1074. indictione duodecima, ab Imbricone, Episcopo  
Augu-



Augustano, sub Imperatore Henrico IV. Ortolphus Comes, verus fundator, interfuit expeditioni adversus Saracenos, in Judæam susceptæ à Godefrido Bulionensi, nobilissimo victoriosissimoq; Lotharingæ Principe, quem adjuvit etiam in recuperanda terra Sancta & occupandis Hierosolymis anno Christi 1099. Idcirco insignibus privilegiis & plurimis reliquiis (quæ certis temporibus magna veneratione in hoc cœnobio ostendi solent) donatus est à Romanæ Ecclesiæ Pontificibus. Obiit vero Ortolphus Comes in itinere, cum rediret à terra sancta, antequam patriæ appulisset, ad quam tamen mortuus reventus & in templo hoc Hohenwartensi honorifice reconditus & humatus est prope sororem ac parentes. Post obitum fratris Ortolphi Domina *Willitrudis* omnia bona paterna collecta piarum sororum congregationi & incepta à parentibus ac fratre domui Dei tradidit: cujus ipsa prima legitur fuisse gubernatrix & Abbatissa. Extat de ea tale adhuc in cœnobii monumentis epigramma:

*Quando valedixit Willitrudis inclytamun* }  
*Claruit hic primo per eam Monasticus or* } do

Tumulo ejusdem primæ hujus loci & fundatricis & gubernatricis tales antiquitus superadditi fuerunt versiculi, nunc omnino aboliti.

*Virgo flos florum præclare, nitens superiorum*  
*Gemma, tibi vota persolvens concio tota*  
*Per te salvari petit & pro sine beari.*

*Series* Abbatissarum, quæ huic Dominæ Willitruði ordinariè successerunt, hæc sola adhuc supersunt nomina.

2. *D. Luicardis.*
3. *D. Hilburgis.*
4. *D. Himeltrudis.*
5. *D. Hildegardis*, quæ præfuit anno Domini 1180.
6. *D. Vota.*
7. *D. Adelheidis.*
8. *D. Mechtildis.*

9. *D. Adel.*



9. *D. Adelheidis* secunda præfuit anno Domini 1240. pontificante Romæ Gregorio IX. Imperante Friderico Neapolitano. Sub ejus gubernatione consecratum est templum iterum à Sibothone, Episcopo Augustano.

10. *D. Sophia* præfuit anno 1244. sub P. M. Innocentio quarto.

11. *D. Æmilia* ab Appsperg.

12. *D. Bertha* præfuit anno 1316.

13. *D. Elisabeta Carbonaria à Startzhusen* præfuit anno 1373.

14. *D. Osanna à Parspergk* obiit anno 1430.

15. *D. Agnes Hornerin*, pastoris cujusdam filia, ex Holtzensis se reformato cœnobio adducta, præter spem ac animi sui voluntatem huic loco præfeta, laudabiliter ac diutissime præfuit. Obiit anno 1468.

16. *D. Clara ab Hobenkirchen* successit Agneti, Holtzensis cœnobii reformatrici. Præfuit 15. annis. Obiit anno 1483.

17. *Veronica à Seckendorff*, ex Aistetenfi S. Walburgis monasterio accita, præfuit octodecim tantum septimanis. Decessit anno 1485.

18. *D. Barbara ab Hintzenhausen*, ex Neuburgo Danubiano accita, præficitur Abbatia anno 1485. Præfuit laudabiliter sex annis & totidem ferè mensibus. Hac ad clavum Abbatia sedente, reformatum est cœnobium eodem (quo præfidere cœpit) anno, ipsa Dominica post S. Michaelis festum, ab Andrea S. S. Montis Andecensis, & Georgio Schirensi, Abbatibus sub Alberto Bavarorum Duce, & Joanne Werdenbergensi Comite, Episcopo Augustano. Obiit anno 1490.


19. *D. Cbunigundis Beckbina*, nobili genere nata, ex Neuburgensi ad Danubium sedente conventu evocata, successit Barbaræ. Præfuit 21. annis, & resignans anno 1511. propter afflictam valetudinem, novem adhuc annis superstes mansit.

20. *D. Catharina Vogelbuterina*, ex Kitzenbuhel oppido Bavarico nata, eligitur anno 1511. Præfuit 34. annis. Obiit anno 1545. in die S. Matthiæ. Sub ejus gubernatione incendio per-



it coenobium anno 1516. quod ipsa mediocriter iterum crexit & instauravit.

21. *D. Scholastica à Pappenberg*, ex Pergensi conventu evocata, constituitur Surmuntoriana Abbatissa in Martio anni 1545. Præsides laudabiliter & utiliter hoc adhuc currente anno 1551. Sub ejus gubernatione coenobium direptum & spoliatum est in bello Germanico seu Schmalcaldico, ut vocant, cum à Sebastiano Schertlione, civitatum Imperialium duce, tum à vicinis civibus Hohenwartensibus. Proxime enim coenobio adjacet ejusdem nominis præclara Marca, quæ Bavarorum Duci paret.



**HIERHAUPTUM**, superioris Baviaræ celebre coenobium, ad Achium, pisculentissimum rivum, non procul à Lyco, tribus ab Augusta Vindelicorum & totidem à Danubiana peninsula (hodie Danawerd) duobus vero à Khaino Bavarorum oppido milliaribus, in colle (ex quo & Augusta & Donawerda videri possunt) ad ejusdem nominis amplum pagum, fecundo & maxime fertili loco situm, ab animali seu fera (quæ in venatione ibi Thassilonis Ducis filium trucidavit) sic dictum, ordinis *D. Benedicti*, diocecesis vero Augustanæ. Idinquam fundatum & inchoatum legitur in honorem Divorum Petri ac Pauli Apostolorum, à magnanimo ac potentissimo Bavarorum Duce, Thassilone, anno Domini 570. quo ferè tempore idem Thassilo Wesfenbrunnensem ejusdem monastici instituti Abbatiam crexisse dicitur fundator. Thassilo adversus Imperatorem Carolum Magnum aliquoties rebellis, tandem sub jugum missus, monasterio *S. Nicolai Pataviensi* inclusus legitur: ubi tale ejus extat epitaphion:

*Thassilo Dux primum, post Rex: monachus sed ad imum:  
Ldibus à terris decesserat ille Decembris.*

Obiit anno Domini 787. mense Decembri. Is Odilonis Bavarorum Ducis, ex Hiltrude, Pipini Regis sorore, filius fuisse legitur, multorum coenobiorum fundator. Auctum vero, lo-

cuple-

*Kaino.*

*Wesfenbrunn.  
S. Nicolai coenobium Pataviense.*

*Thassilo.*